247

Este es un traslado bien y fielmente
sacado de una bulla apostolica
de su santidad [illegible] escripta en pergami-
no en lengua latina con sello impreso
en cera colorada en una caja [illegible]
pendiente en filos de seda y cuyo
tenor es el siguiente

PETRVS PAVLVS CRESCENTIUS Protonotarius Apoſtolicus Sanctiſsimi D.N. Papæ, necnon Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæquè Curiæ Iudex ordinarius, ſententiarũm quoque & cenſurarũ tam in eâdem Romana Curia quàm extra eam latarum, ac literarum Apoſtolicarũ quarumcũque vniuerſalis & merus exequutor ab eodem Sanctiſsimo D.N. ſpecialiter deputatus. VNIVERSIS & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cãtoribus, Theſaurariis, Sacriſtis tam Cathedralium, quàm Collegiatarũ Eccleſiarum Canonicis, Parochialiumquè Rectoribus, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis quibuſcumque, illiquè, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ peruenerint, ſalutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, imò verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. NOVERITIS coram nobis tãquam quarumcũque literarum Apoſtolicarum vniuerſali executore, omniquè alio meliori modo pro parte potentiſsimi & Catholici Principis, & DD. Philippi Hiſpaniarum Regis, necnon Illuſtriſſimorum & Reuerendiſsimorum DD. Archiepiſcopi Granateñ. & aliarũ Cathedralium Eccleſiarum Regni Granateñ. Epiſcoporum, ac Cathedralium huiuſmodi, & Collegiatarum, Capitulorum, Canonicorum, Beneficiatorum, Parochialiumquè Rectorum, ipſarumquè Eccleſiarum totius Regni Granateñ. adminiſtratorum, earũdemquè Eccleſiarum fabricarũ, œconomorum, & Præſulum, ac Illuſtriſ. & Reuerend. D. Ioannis de Matute Canonici Granateñ. tam coniunctim, quàm diuiſim, omniquè meliori modo principalium exhibitas fuiſſe literas Apoſtolicas in forma Brebis ſub Annulo Piſcatoris expeditas, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis, videlicet. PAVLVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem prædeceſſorum ſuorũ geſta, præſertim Catholicorum Regum, & aliorum Chriſti fidelium indemnitatem reſpicientia, vt perpetuò firma, & inuiolata perſiſtant approbationis ſuæ præſidio communire, ac alias prouidẽtiæ ſuæ partes deſuper fauorabiliter interponere, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire. Dudum ſiquidem à fœl: rec: Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenore ſubſequentis. Chariſsimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum Imperatori ſemper auguſto, & venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Granateñ. ac aliarum Cathedralium Regni Granatæ Epiſcipis, ac dilectis filiis Granateñ. Cathredalium huiuſmodi, & Collegiatarum Capitulis, parochialiumquè Eccleſiarum totius Regni adminiſtratoribus, ac illorum, & Eccleſiarum earumdem fabricarum œconomis. Paulus Papa III.

Chariſsime

Chariſsimæ in Chriſto fili noſter, & venerabiles fratres, ac dilecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis quod alias Regno Granatæ è manibus infidelium diuina fauente clementia per cla: me: Ferdinandum & Eliſabeth Hiſpaniarum Reges Catholicos recuperato fœl: rec: Innocentius Papa VIII. prædeceſſor noſter ad ingētes labores & expēſas per Ferdinandū & Eliſabeth Reges prędictos in huiuſmodi Regni recuperatione perpeſos, & factas, vt par erat, reſpiciens eiſdem, Ferdinando & Eliſabeth Regibus, quoad viuerent, & deinde eorum ſucceſſoribus Hiſpaniarum huiuſmodi Regibus pro tempore in perpetuum Iuſpatronatus, & præſentandi perſonas idoneas ad ipſius Regni Metropolitañ. & alias Cathedrales, & Collegiatas, necnon parochiales Eccleſias, earumquè Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, ac alia Beneficia & hoſpitalia inibi iam tunc forſan erectas, & erecta, ſeu erigendas, ſeu erigenda reſeruauit, & concesſit, ac omnes & ſingulos fructus, redditus, & prouentus decimales in toto Regno prædicto pro tempore prouenientes, ea tamen conditione quod ipſi Ferdinandus & Eliſabeth Reges ex eiſdem fructibus competentem dotē & portionem tunc Archiepiſcopo Granateñ. & prædicti Regni Epiſcopis, ac Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum huiuſmodi Capitulis, necnon Beneficiatis, & Hoſpitalibus, ipſorumquè Hoſpitalium, & dictarum Eccleſiarum fabricis aſsignare deberent, & tenerentur perpetuò donauit, ipſique Ferdinandus & Eliſabeth Reges pro conditionis huiuſmodi implemento duabus nonis partibus fructuum huiuſmodi pro ſe ipſis retentis reliquas ſeptem nonas partes fructuum eorumdem Archiepiſcopo, Epiſcopis, Capitulis, Beneficiatis, Hoſpitalibus, & fabricis prædictis inter eos certo tunc expreſſo ordine diuidendas reliquerunt, & pro eorum dote aſsignauerunt. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat ex tūc in antea tam in Granateñ. quàm aliis Ciuitatibus & Oppidis dicti Regni, ac eorū diſtrictibus plura Monaſteria, & domos religioſorū diuerſorū Ordinū tam virorum quàm mulierum ædificata fuerint, & indies ædificētur, & inter alia à viginti annis citrà vna domus ſeu Monaſterium Carthuſieñ. Ordinis expenſis domus del Paular dicti Ordinis Carthuſieñ. Segouieñ. diœceſ. quæ opulentiſsima exiſtit prope & extra muros ciuitatis prædictæ Granateñ. constructa fuerit, ac Prior & Conuētus monaſterij, ſiue domus de nouo conſtructæ huiuſmodi ex ſuperabūdanti pecunia dictæ domus del Paular in ciuitate Granatenſi, & eius diſtrictu ſiue Regno huiuſmodi quàm plura prædia, hortos, terras, vineas, & alias poſſeſsiones magni valoris comparauerint, & indies cōparent, eaquè tam per proprios, quàm alienos colonos cultiuari fecerint, & faciant, ac prætextu certorum priuilegiorū eidem Ordini Carthuſieñ. per diuerſos Romanos Pontifices et prædeceſſores noſtros, & præſertim per piæ me: Ioannem Papam XXII. etiam prædeceſſorē noſtrum tunc Priori & fratribus domus Bonipaſſus eiuſdem Ordinis Carthuſieñ. Cauaiceñ. diœceſ. primo conceſſorum, & deinde per rec: me: Piū Papam II. ſimiliter prædeceſſorem nrūm ad omnes & ſingulas alias domus Ordinis huiuſmodi vbilibet ædificādas, & ædificatas extenſorum decimis, & primitias fructuum ex prædiis, hortis, terris, vineis, & aliis poſſeſſionibus prędictis pro tēpore prouenieñ. vobis vt præmittitur debitas, & in quarū perceptionis poſſeſsione pacifica, vel quaſi, vos, & prædeceſſores veſtri à dicti Regni recuperatione citra ſaluis infraſcriptis moleſtationibus ſemper fuiſtis ſoluere recuſauerint, & recuſent, voſquè deſuper pluribus litibus, & moleſtiis inuoluant, & perturbent, & quod deterius eſt vos veſtra pacifica poſſeſsione, vel quaſi, & dote vobis fratres Archiepiſcope, & Epiſcopi, ac filij, Capitula, Beneficiati, Rectores, & œconomi prędicti, vt præfertur aſsignata de facto ſpoliauerint, & ſpolient in magnū veſtrū omniū præiudicium, & pernicioſum exemplum, pro parte veſtrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt omnia & ſingula priuilegia, exempciones, & immunitates, & indulta Carthuſieñ. & aliis Ordinibus, ac Monaſteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum in prædicto Regno conſtructis, & de cætero

conſtruen-

conſtruendis conceſſa,& concedenda ad viam iuris communis perpetuò reducere,aliaſquè in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes nec iuri, nec rationi conuenire quòd Carthuſien. & aliorum monaſteriorum huiuſmodi Conuentus,& fratres prætextu priuilegiorum eis propter prætenſam paupertatem(vt credendum eſt)conceſſorum Carolum tot iuſtiſsimis bellis aduerſus infideles prope ſemper peroccupatum, Prælatos Dominici gregis directioni ſatagentes,Capitula,& Eccleſiarum miſtros Eccleſiarum earumdem continuo ſeruitio,& Dei laudibus intentos,ac hoſpitalia ad pauperum ſubuentionē prouidè inſtituta ſua dote,&fructib' eis vt præfertur debitis,& illorū poſſeſſione audeant ſpoliare,dictaſquè decimas ſibi denegare,& deſuper eos litibus inquietare conētur,donationis &aſsignationis prædictarū,ac deſuper confectarum quarumcunq; literarum Apoſtolicarum etiam in forma Breuis,necnon omnium,& ſingulorum priuilegiorum,indultorum, & literarum Apoſtolicarum præfatis,&quibuſuis aliis domibus,& monaſteriis Carthuſien. ac cuiuſuis alterius Ordinis huiuſmodi,illorumquè Conuentibus & fratribus per dictos,& alios quoſuis Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros,ac forſan nos,& Sedem Apoſtolicam ſuper præmiſsis vt præfertur, vel aliàs quomodolibet conceſſorum,confirmatorum,& innouatorum,ac extenſorum tenores,necnon quarumcūque cauſarum ſuper præmiſsis , vel eorum aliquo inter vos,ſeu aliquem veſtrum,& domus, ſeu monaſteria huiuſmodi vel eorum aliqua in Romana Curia, vel extrà eam in quacumque inſtantia,coram quibuſuis Iudicibus ordinariis, & delegatis etiam cauſarū Palatij Apoſtolici Auditoribus,ſeu S.R.E. Cardinalibus,vel aliàs vbilibet indeciſſarum pendentium ſtatus,& merita pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes,cauſamquè,&cauſas ipſas ad nos auocantes,ac litem,& lites huiuſmodi penitùs extinguentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Omnia & ſingula priuilegia, exemptiones,immunitates & indulta Carthuſien. & aliis Ordinibus, ac domibus,& monaſteriis tàm virorum, quàm mulierum in dicto Regno conſtitutis & de cætero conſtruendis per præfatos, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros , ac nos, & dictam Sedem quomodolibet conceſſa,&concedenda quoad ea dumtaxat per quæ vos in perceptione libera fructuum decimalium,& primitiarū vobis de Iure communi debitorum impedimini & moleſtamini,aut impediri videmini ad viam Iuris communis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium penitùs & omninò,ac perpetuò reducimus,reuocamus, reſtringimus,& limitamus,eaquè omnia & ſingula de cætero perpetuis futuris temporibus,monaſteriis &domibus,ac Ordinibus prędictis illorūquè Superioribus Conuentibus,fratribus,& perſonis,ad hoc vt illorū vigore à ſolutione decimarum & primitiarum de iure communi debitarum eximi,excuſari,vel quoquomodo liberari valeāt nullatenus ſuffragari, quinimò monaſteria,domos,& Ordines,eorumquè Prælatos,Conuentus,fratres,& perſonas ad decimarum huiuſmodi ſolutionem iuxta diſpoſitionem , & formā, ac tenorem iuris communis huiuſmodi teneri,& efficaciter obligata, & obligatos exiſtere,& ad id per cenſuras,& pœnas eccleſiaſticas,ac etiam pecuniarias,ac alia opportuna iuris remedia per dictarum Eccleſiarum Cathedralium Prælatos cogi,& compelli poſſe,& debere decernimus. Necnō eiſdem monaſteriis,& domibus,eorūquè Conuentibus, Superioribus, & fratribus ſuper cauſis,& litibus prędictis,&ab eis,vel earū aliqua depēdētibus, emergentibus,annexis,& connexis ex certa ſcientia,ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponimus,ac monaſteria,& domos,necnon Superiores, Conuentus,& fratres huiuſmodi vllo vnquam tēpore etiā normis læſionis,aut quouis alio prætextu deſuper litigare,ſeu reclamare,vel aduerſus præſentes in integrum ſeu aliàs reſtitutionem in totum vel in partem petere,vel obtinere non poſſe,ac præſentes literas, & in eis cōtenta quæcūque de ſubreptionis,aut obreptionis, vel nullitatis vitio, ſeu intētionis noſtræ defectu,quouis prætextu occaſione, vel cauſa notari,

vel

vel impugnari, aut in aliquo alio alterari annullari, vel reduci, ſeu annullata, alterata, aut reducta cẽſeri, nullatenùs poſſe, ſed valida & efficatia exiſtere, ſuosquè plenarios effectus in totum ſortiri debere, illisquè nullatenùs derogari poſſe, etſi illis derogetur, quoties id fiet, toties ea in priſtinum ſtatum reſtituta, repoſita, & plenaria reintegrata eſſe, & cẽſeri. Sicquè in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcũque Iudices & Cõmiſſarios quauis auctoritate fungẽtes, [illegible] Auditores prędictos ſublata eis & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretãdi facultatẽ, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſuper iis, ſecùs á quoquam quauis auctoritate ſciẽter, vel ignoranter contigerit attentari, irritũ, & inane ſimiliter decernimus. Quocircà dilectis filiis Hiſpaleñ. Corduben. & Gienneñ. officialibus per præſentes committimus & mandamus quatenùs ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta huiuſmodi inuiolabiliter curent, & faciant, Cõtradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas quacumque appellatione poſtpoſita compeſcẽdo, & legitimis ſuper iis habendis, ſeruatis proceſsibus cẽſuras, & pœnas prędictas etiã iteratis vicib[9] aggrauãdo, inuocato etiã ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis. Hoc enim officialib[9] prędictis, & eorũ cuilibet Cõuẽtus & fratres prędictos, ac alios quoſcũque etiã per edictũ publicum, conſtito eis ſummariè, & extraiudicialiter de non tuto acceſſu deſuper citãdi, nec non eis, & quibuſuis aliis perſonis, etiam ſub excommunicationis, & aliis ſententiis ac cẽſuris, & pœnis eccleſiaſticis etiã pecuniariis eorum arbitrio imponendis, applicandis, & exequendis, ne vos aut aliquem veſtrum ſuper præmiſsis, vel eorum aliquo quouis modo moleſtare, perturbare, ſeu inquietare præſumant, etiam ſimili edicto inhibendi, & alia in præmiſsis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam, auctoritate & tenore prędictis facultatẽ concedimus. Non obſtãtibus fœ. re. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltrà tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium nõ trahatur, ac quibuſuis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinũ, Monaſteriorum, & domorum huiuſmodi etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiã mare magno, vel aliàs nuncupatis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisquè efficatioribus, & inſolitis clauſulis ac irritan. & aliis decretis quomodolibet per prædictos, vel quoſuis alios Rom. Pont. ſimiliter prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, ſeu aliorum Principum, aut nullius inſtantiam, etiam Motupróprio concesſis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiamſi pro illorum derogatione de illis, eorumquè totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, nõ autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus contrariis quibuſcũque. Aut ſi eiſdẽ Cõuẽtibus, & fratribus, et aliis prędictis, vel quibuſuis aliis communiter, aut diuiſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas non facientes plenam et expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud ſanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xxij Iulij M D X L I. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. Cum autem ſicut chariſsimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus tam ſuo, quàm Præſulum, Capitulorum, Rectorum, Beneficiatorum, adminiſtratorum, et [illegible] prædictorum nominibus per dilectum filium Ioannem de [illegible] Eccleſiæ [illegible] Canonicũ nobis

nuper

nuper exponi fecit, quòd licet ipſi Philippus Rex, ac Præſules, ac alij quibus decimæ et primitiæ fructuum huiuſmodi in dicto Regno tàm ex priuilegio, et conceſsione per piæ me: Innocentium Papam VIII. ac prædictum P[illegible] tum, ac quoſcunque alios Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros factis, et emanatis, quàm alias reſpectiuè debentur in poſſeſsione pacifica, ſeu quaſi decimas, et primitias huiuſmodi percipiendi exiſtant, nihilominus nonnulli prædictorum ſeu aliorum Monaſteriorum, domorum, et locorũ Superiores, et Religioſi, vel alij quocũque nomine nuncupati [illegible] eorum aliqui rurſus ſuæ exemptionis priuilegia, et indulta, ſic ad viã iuris per eaſdem præinſertas literas reducta in vſum reuocare, ſeque illorum prætextu à ſolutione, et præſtatione decimar[illegible] et primitiarũ per eos debitarũ ſubtrahere, et excuſare, ac aliàs Philippum Regem, et alios contra earumdem literarum tenorẽ, et continentiam perturbare moliantur, et perturbent. Et propterea dictus Philippus Rex nominibus prędictis nobis humiliter ſupplicari fecit, vt eiſdẽ præinſertis literis pro earũ firmiori ſubſiſtẽtia, [illegible] obſeruatione approbationis noſtræ robur adijcere, ac aliàs in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pro paſtoralis officij nobis incumbentis munere, ac æquitatis et iuſtitiæ debito Philippi Regis, ac Præſulum, Capitulorum, Rectorum, Beneficiatorum, Adminiſtratorum, et œconomorum præfatorum indemnitati cõſulere volentes, necnon donationis, et aſsignationis decimarum, et primitiarum, ac aſſertorum priuilegiorum, exemptionum, immunitatum, et indultorum huiuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis habẽtes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Præinſertas literas, et per eas à dicto Paulo prædeceſſore factas priuilegiorum, exemptionum, immunitatum, et indultorum huiuſmodi reductionem ad viam Iuris ac reuocationem, reſtrictionem, et limitationem cum omnibus et ſingulis clauſulis, cautelis, decretis etiam irritantibus, derogationibus, et facultatibus in eiſdem præinſertis literis contentis, et appoſitis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, et confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ac illis perpetuæ, et inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omneſquè et ſingulos tàm Iuris quàm facti, ac ſolemnitatum quantũuis ſubſtantialiũ defectus ſiqui interuenerint in eiſdem, etiam ſi tales ſint, vel fuerint, qui ſub generali ſermone non veniant, ſed ſpeciali nota, et expreſsione indigeant ſupplemus. Quocircà dilectis filiis noſtro, et Sedis prædictæ in illis partibus Nuntio, ac Toletañ. et Gienneñ. officialibus per præſentes committimus et mandamus quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios tam præinſertas, quàm præſentes literas, et in eas contenta quæcũque, vbi, et quando opus fuerit, faciant auctoritate noſtra ad quos ſpectat, et pro tempore ſpectabit inuiolabiliter obſeruari. Non permittentes Philippum, et pro tempore Hiſpaniarum Regem, ac Præſules, Capitula, Rectores, Beneficiatos, Adminiſtratores, et œconomos præfatos, vel eorum quempiam deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, et perturbari, vel inquietari, Contradictores quoſcũque per cenſuras, et pœnas eccleſiaſticas, aliaquè opportuna Iuris et facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſsibus, cenſuras, et pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſsis, ac conſtitutionibus, et ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, domorum, locorum, & ordinum huiuſmodi iuramento, cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, et cõſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis exemptionibus, et literis Apoſtolicis illis, eorumquè Superioribus, Conuentibus, et perſonis, ſub quibuſcũque tenoribus et formis, et cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſquè efficacioribus, et efficaciſsimis, ac inſolitis clauſulis, et decretis, etiam irritantibus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamque Sedem, etiã Motupropro,

& ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam iteratis, & multiplicatis vicibus quomodolibet conceſsis, approbatis, & innouatis, necnon omnibus illis, quæ dictus Paulus prædeceſſor in ſuis literis præinſertis voluit non obſtare. Quibus omnibus & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumquè totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxàt ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisquè contrariis quibuſcúque. Cæterùm, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, vbi opus fuerit, transferri. Volumus, quòd illarum tranſumptis ſeu exemplis etiam Impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eadem prorſùs fides in iudicio vel extrá vbique adhibeatur, quæ præſentibus originalibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xv. Nouẽbris M. DC. IX. Põtificatus noſtri anno quinto. S. Cobellutius.

POST QVARVM quidem præinſertarum literarum exhibitionem, fuimus ex parte eorúdem inſtantium inſtanter requiſiti, quatenus pro earúdem literarum Apoſtolicarum præinſertarũ, & contentorum in eis exequutione, & effectu opportunè prouidere, & ad earúdem literarũ exequutionem procedere dignaremur. Nos igitur attendentes literas Apoſtolicas eſſe exequutioni demandandas, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus quatenus ſtatim viſis & receptis præſentibus, & poſtquàm præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu aliquis veſtrũ fuerit requiſitus eaſdem præinſertas literas Apoſtolicas & in eis contenta intimetis & inſinuetis, & notificetis, & ad notitiam deducatis Reuerendis Priori, & fratribus Conuentus monaſterij ſeu domus Carthuſieñ. Ordinis propè & extrà muros Ciuitatis Granateñ. ac quibuſcúque quorũcumque Monaſteriorum, Conuentuum, domorum, & locorum Regni Granateñ. Præſulibus, Prælatis, Superioribus, fratribus, adminiſtratoribus, & perſonis quacúque auctoritate, poteſtate, & dignitate fungentibus, & functuris, omnibusquè aliis, & ſingulis in exequutione præſentium nominañ. & cognominañ. pro vt nos harum ſerie intimamus, & notificamus, eosquè omnes & ſingulos in exequutione præſentium nominañ. & cognominañ. moneatis & requiratis, pro vt nos monemus, & requirimus per præſentes, eisquè præcipiatis, & mãdetis quatenùs infrà ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro vltimo & peremptorio termino, & canonica monitione aſsignetis pro vt nos aſsignamus eiſdem per præſentes ſub decem millium ducatorum auri de Camera locis piis arbitrio noſtro applicañ. & pro illis mandati exequutiui, ac ſuſpenſionis à diuinis interdicti eccleſiaſtici, & reſpectiuè excommunicationis, aliisquè eccleſiaſticis ſententiis, cẽſuris, & pœnis etiam in eiſdem præinſertis literis Apoſtolicis contentis, & comprehenſis debeant, & quilibet eorum tam coniunctim, quàm diuiſim, ac pro vt vnumquemque reſpectiuè tangit, & concernit, debeat realiter & cum effectu decimas, & primitias iuxtà formam & tenorẽ earúdem præinſertarum literarum Apoſtolicarum ſuis loco, & tempore ac hactenùs decurſas, & debitas, & in futurum decurreñ. & debendas integrè ſoluiſſe, dediſſe, conſignaſſe, & tradidiſſe, & de illis reſpondiſſe, & ſatisfeciſſe ipſosquè inſtantes reſpectiuè in corporali, reali, & actuali poſſeſsione habendi, exigendi, & percipiendi eaſdem decimas & primitias omni modo meliori manutenuiſſe, defendiſſe, & conſeruaſſe, manutenerique, defendi, & conſeruari feciſſe, & vidiſſe, ipſosquè inſtantes eiſdem præinſertis literis Apoſtolicis, & in eis contentis, expreſsis, & comprehenſis in genere, & in ſpecie, ac in omnibus, & per omnia pacificè, & quietè vti, frui, & gaudere liberè permiſiſſe

miſiſſe

miſiſſe, & conceſiſſe nec ipſos inſtantes, aut eorum occaſione, vel alias quomodolibet tacitè vel expreſsè, directè ſeu indirectè quouis quæſito colore, vel ingenio moleſtaſſe, vexaſſe ſeu impediuiſſe, nullamque moleſtiam aut impedimentum dediſſe, nec intuliſſe, quinimo eaſdem literas Apoſtolicas, ac contenta, expreſſa, & comprehenſa in illis in omnibus, & per omnia, ac in genere, & in ſpecie penitus, & omninò abſoluiſſe, adimpleuiſſe, & totali exequutioni, ſuo finali effectui demandaſſe, nec ab ipſis literis, illarumq; forma, & tenore tacitè, vel expreſsè, directè, ſeu indirectè receſiſſe, nec illis contrauenisſe, ſed ab omnibus & ſingulis moleſtiis vexationibus, perturbationibus, & impedimentis illatis, factis, & præſtitis, fieriquè & inferri comminatis, ac fiendis, & inferendis in futurum deſtitiſſe, & ceſſaſſe, ac penitùs & omninò abſtinuiſſe, ipſisque literis Apoſtolicis & præſentibus noſtris in omnibus & per omnia paruiſſe, & obediuiſſe realiter, & cum effectu, ipſisq; [illegible] competen. iuſtitiam miniſtrari, ac ad totalem & finalem earundem literarum Apoſtolicarum exequutionem procedi non ſolùm præmiſſo, ſed etiam alias omni alio meliori modo vidiſſe. Et inſuper inhibeatis, ac inhibēdo expreſsè præcipiatis, & mandetis, prout nos harum ſerie inhibemus, eiſdemq; ſic monitis, & monendis, omnibusque aliis & ſingulis in exequutione præſentium nominañ. & cognominañ. ne viſis præſentibus ſub eiſdem ſententiis, cenſuris, & pœnis audeāt ſeu præſumant, nec aliquis audeat ſeu præſumat eoſdem inſtātes, aut eorum alterum [illegible] præmiſsis, aut eorum occaſiōne quomodolibet tacitè, vel expreſsè, directè, ſeu indirectè moleſtare, necnō perturbare, ſeu impedire, nec ipſis literis Apoſtolicis, & cōtentis, & comprehenſis in illis quouis modo, tacitè, vel expreſsè, directè, ſeu indirectè in aliquo contrauenire, nec ab illis, illorumq; forma, ac tenore recedere, ſeu quicquam facere, intentare, ſeu innouare per ſe, vel alium, ſeu alios. Alioquin eoſdem ſic monitos, & inhibitos monendos, & inhibendos, ſi literis Apoſtolicis prædictis contrauenerint, & ab illis, illarumq; forma receſſerint, illiſq; & præſentibus noſtris parere, & obedire diſtulerint, peremptoriè citetis, & citare curetis quatenus ſexageſima die poſt præſentiū exequutionem ſi dies illa iuridica fuerit, alioquin proxima ventura prima die iuridica immediatè ſequeñ. compareant Romæ in iudicio legitimè coram nobis, vel noſtro in Ciuilibus locumtenente ad videndum, & audiendum ſeſe ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas damnabiliter incidiſſe, & incurriſſe declarari aggrauari, & reaggrauari vnà etiā cum inuocatione brachij ſæcularis, literasq; neceſſarias & opportunas decerni, & relaxari, ac alias, & alia dici, & fieri pro totali, & finali literarum Apoſtolicarum, & præmiſſorū exequutione, & effectu quomodolibet neceſſaria, & opportuna. Certificantes eoſdem ſic citatos, quòd ſiue in dicto citationis termino comparuerint, ſiue non, Nos nihilominus, ſiue locūtenens noſter ad omnes & ſingulos actus, & terminos iudiciales vſque ad ſententiam diffinitiuam incluſiuè procedemus, ſiuè procedet illorum contumacia, vel abſentia in aliquo non obſtante. ABSOLVTIONEM præmiſſorū nobis, vel Superiori nro tātū [illegible] reſeruamus. IN QVORVM omnium præmiſſorum fidem [illegible] præſe[illegible] fieri, ſubſcribi, & ſigillari iuſsimus. DATVM Rom[illegible] ex ædil[illegible] noſtris Anno Domini milleſimo ſexcenteſsimo decimo die verò quinta mēſis Nouembris Indictione octaua. Potnificatu autem Sanctiſsimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pauli diuina prouidentia Papæ Quinti anno eius ſexto. Dominicus Amadeus Car. Cu. Cameræ Apoſtol. Notar. Marcus Burſ. Locumtenens.

Concuerda con el original donde se sacó y se trasladó [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

y por la boz de antº yglesia de [illegible] frayle[illegible]

[illegible] y de quinientos y [illegible] se hallaron

presentes al conçierto dello el maestro villa-

lobos y el bachiller [illegible] y ~~juan~~ diego

hurtado vezinos de [illegible] y quatro

dias del mes de novienbre de mill e [illegible]

çientos y ochenta [illegible] y en fee dello lo firme y signe

Alº guillamas de mendoça

en testimonio de verdad

Antº Lorenço notº